Duci et Reip. Venet.

Alexander Pp. VII.

Labores, quibus uti fideles Operarij in Christi vinea Societatis Jesu Religiosi viri assidue exercentur, fructusque, quos Dno benedicente ex illa percipiunt, Nobilitatibus Vestris prebe cognitos, ac perspectos esse non dubitamus, adeo enim uberes, atque ampli sunt, ut bonus eorum odor longe se, lateque diffuderit, et ad longinquas etiam, remotasque regiones iam olim pervenerit. Nos, quorum humilitatem supremus ille Pater-familias, ac dominus sue domus custodie, et agri sui cultioni preposuit, sollicitudinis nostre debitam, ac precipua curam putamus esse utiles adeo servos, ac traditis a Domino talentis augendis ingrim opportunos, et ubique, et apud eos presertim esse, quos peculiari charitate complectimur, quibus salutarem, ac fructuosam eorum industriam, atque operam fore providemus: quem amorem cum erga nobilissimam istam Remp. in visceribus geramus non inferiorem singulari eius Deum religione, in Sanctam vero hanc Sedem observantia, moleste admodum ferimus e iam diu his Religiosis Nobis perquam charis, probatisque carere, unde procul dubio magna ad vos, Civesque vestros universos utilitates essent perventure. Novit prudentia sapientiaque vestra, quanti intersit maxime lubricam, incertamque adolescentium etatem bonarum artium, ac pietatis studiis innutriri. Usque adeo refert a primis annis optimis institutis assuescere, cum, nempe, ad ea que traduntur accipienda aptissimi sint adolescentium animi, firmiterque deinde, que sunt tradita, in omni vita retinentur. In illa vero etate gubernanda, sanctissimisque preceptis conformanda iure nulli his Religiosis peritiores aut magis idonei existimantur, qui sane in rem non exiguam vite partem ponere ferumque solent, callentque tam longo usu, atque exercitatione facillimas quasque, atque utillimas docendi, precipiendique vias; quodque maxime fieri debet non minori cura pietatem Deique timorem, unde vere omnis sapientie, ac scientie initium ducitur, quam litteras disciplinasque edocere satagunt. Testatur pium hoc illorum studium Religionis propagande ardor, templorum cultus, frequens Sacramentorum, ac Dei verbi administratio, ip- denique eorum institutum, quod unam Divini nominis gloriam propositam habet, pro qua augenda, amplificandaque in omni doctrina et omni opere bono fideliter collaborant. Dignam itaque prudentia vestra, dignam pietate, dignam perpetua in Nos observantia, ac maximopere ad Divinum auxilium impetrandum opportunam rem facietis, eos quam primum in Nobilissimam istam Civitatem, omnemque ditionem vestram recipiendo. Te si quantopere beneficiorum suorum memoriam Deus requirat, quantaque sit reputabit que hoc tempore largita vobis est immensa eius bonitas, clementiaque inter ceteras, hanc quoque ipsi gratiam referre debetis, ex qua ingens eius gloriae, ac laudis incrementum extiturum perspiciatis. Multum etiam id valebit ad Sanctissimi Viri Ignatij tutelam conciliandam, cui devotos non minus vos esse decet, quam vestri maiores fuerunt. Siquidem cum huius Societatis fundamenta iaceret, diutius in amplissima ista Urbe est commoratus, ac preclara passim in ea Sanctitatis exempla edidit, ac quam plurima

monumenta reliquit. Nam quod ad Nos attinet: non dubitamus id in Loco beneſ
ponere, ex quo maximos, atq̄ uberrimos fructus estis percepturi. Atquè in hoc te
tem veluti, ac pignum Paternam nostram Charitatem dare non veremur, quam
magnam semper meritò esse duxistis, nec minorem existimatione vestra exge
estis. Eam sanè causam à multis annis adversus Christianæ Religionis infensissim
hostes defendistis, quæ præcipuè, ac pro viribus à Nobis fovenda est. verum ingens a
efficiendum charitati nostræ in posterum pondus imponetis, atq̄ ad hanc voluntat
hoc facto is cumulus accidet, ut multò eam amplius invitaturi sitis ad istam Reg
hoc præcipuè tempore omni conatu, atq̄ ope, quantum in Domino poterimus adiuban
Adeò deniquè id Nobis gratum, iucundumq̄ accedet, ut vobis certò spondeamus, n
à vestra in hanc Sanctam Sedem observantia, reverentiaq̄ fieri posse, ex qu
maiores stimulos addi animi nostri affectus sensuri simus, et pro quo plura
invicem vobis sint benevolentiæ Nostræ signa expectanda, quibus eam non me
criter auctam erga vos ostendamus, uti etiam fusiùs exponet Vr. Venerabilis
volus Episcopus Aversanus Noster apud Nobilitatem vestram Nuncius, cui fidem ha
à vobis cupimus, quibus à Deo felicitatem precamur et Apostolicam benedictio
nem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanct. Mariam Maj
sub annullo Piscat. die 23. Decemb. anni 1656. Pontific. Nost. anno 2.